

_Lettera_N_3293

Circolare ai direttori salesiani

Datum Augustae Taurinorum, prima die novendiaris solemn. Immacolatae B. V. Conceptionis 1880

Directoribus aliisque superioribus cujusque domus salesianae in D. S. P. Mense Septembris nuper elapso Generale Capitulum in Nostro Collegio apud Lanceum habitum fuit, in quo plura ad Nostrae Congregationis utilitatem statuta fuerunt. Sed antequam hujusmodi Decreta typis mandari sociisque nostris communicari queant, cum tempus et labor non levis adhuc requiratur, bonum visum est nonnulla hic in antecessum adnotare, quae magis magisque ad praxim necessaria censentur et quorum observantiam summopere in Domino commendamus. Sunt nempe:

1° Deliberationes, quae jam in priori Capitulo Generali ratae fuerunt, legantur, et praecipue quae ad mores atque ad oeconomiam spectant, ad mentem revocentur.
2° Directores maximam impendant diligentiam ut quisque Socius animum suum libere et commode singulis mensibus aperiat. Itidem Exercitium Bonae Mortis, statuto die omnes una simul collecti vel etiam separatim, quisque peragere studeat, eodemque die legatur unum ex Capitulis Nostrarum Constitutionum, vel Epistola sancti Vincentii a Paulo, quae easdem Constitutiones praecedunt.

3° Multae et graves rationes suadent, ut nemo nisi ex medici praecepto ad aquas balnearias accedat.

4° Obedientia inter nos sit de facto erga Superiores, quoad Constitutiones, quoad officia unicuique commissa. Clare explicentur Sancti Pauli Apostoli verba: Obedite praepositis vestris etc. Hinc nemo ex ea domo, ubi a suis superioribus positus est, ne paullisper quidem discedat absque Superioris consensu, et rationabili causa intercedente.

Itidem nemo apud se pecuniam retineat, neque eroget, nisi ex causa et mensura quas ei Superior constituit.

5° Satagant Superiores ut omnino claudatur omnium malorum officina, qualis est feriarum tempus apud parentes aut amicos transigere.

6° Unusquisque seipsum praebeat exemplum bonorum operum, et ab omni specie scandali peraccurate fugam apprehendat.

7° Patientia, caritas et mansuetudo nostra resplendeant in opere et sermone, adeo ut adimpleantur in nobis verba Christi: Vos estis sal terrae, vos estis lux mundi.

8° Mense Februarii et Martii cujusque anni unusquisque Socius ad Rectorem Majorem Epistolam scribat, in qua valetudinis et vocationis suae statum fidenter exponat, ut animi sui quieti et utilitati consulere possit. Hujusmodi Epistolam cum sit ad Superiorem inscripta, nemo neque legere, neque adaperire audeat. Filii mei in Christo carissimi, maneamus in vocatione qua vocavit nos Dominus, et satagamus, ut per bona opera vocationem et electionem nostram certiores faciamus.

Nam, quod Deus avertat, si nos posuerimus manum ad aratrum et respexerimus retro apti non erimus regno Dei.

Singuli Directores omnibus suae domus sociis hanc Nostram Epistolam legant, explicent et de singulis articulis supra adnotatis saepius ad eos breviter sermonem habeant.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit semper nobiscum. Amen.

Joannes Bosco Sacerdos